

The image shows the front cover of an antique book. The spine, on the left, is bound in a dark green, textured material, possibly leather or cloth. The main cover area is decorated with a traditional marbled paper pattern, featuring organic, cell-like shapes in shades of gold, brown, and cream. At the bottom of the cover, there is a printed line of text in Hungarian. The text is centered and reads: "Országos Rabbiképzési Zsidó Egyetem Könyvtára".

Országos Rabbiképzési Zsidó Egyetem Könyvtára

8-164
8/1960

RK 18/2 Országos Rabbiképz. - Zsidó Egyetem Könyvtára

5445-27

†
Q
Munificencia Excellmi Dni Dni Archi-
Episcopi Josephi e Comitibus a Bat,
tyan Perpetui in Remesh Uj-Var do,
no datus ad usum Seminarii Colocensy

Anno 1762.



118

R. 115

HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS TESTAMENTI IN REM THEOLOGICÆ CANDIDATORUM,

Per sex Mundi Ætates ab Orbe condito ad Natale usque JESU CHRISTI, Servatoris Nostri, continenti ordine producta, varisque Colloquiis digesta: Ubi Res præcipuæ, quæ vel ad Historiam Sacram & ejus Chronologiam, Legem, ac Disciplinam Hebræorum spectant, vel quæ ad Prophetarum Gesta, Vaticinia in Jesu Christo ad amissim impleta, & ad Divinam Sacrorum Librorum, quibus continetur Historia Veteris Testamenti, Auctoritatem attinent; per breves Interrogationes & Responiones pertrunguntur, & in præclaro ordine collocantur.

O P U S

Ex tribus Tomis in unum Volumen redactum.

A U C T O R E

FR. IGNATIO HYACINTHO
AMAT DE GRAVESON

Sacrae Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatensis
Theologo, Ordinis Fratrum Prædicatorum.

EDITIO TERTIA VENETA.



VENETIIS, MDCCXLIV.

Apud Jo: Baptistam Recurti.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



64577

OR-ZSE Könyvtár
1007701

BENEDICTO XIX. PONTIFICI MAXIMO.



Um primum, Beatissime Pater, ad Sedem Sancti Petri, & ad supremam Christi in Terris Vicarii dignitatem, non tam suffragiis hominum, quam Divini Numinis Calculo, fuisti euectus; facere non potui, quin prodire coram, & erumpere quodam modo gestiret mea erga Sanctitatem Tuam summa observantia, torque memor beneficiorum, quibus me, licet immeritum, haecenus cumulavit paterna Tua benevolentia, gratum animum meum publico, perennique monumento consecrarem. Qua de re cogitanti mihi, cum exploratum haberem, Sanctitatem Tuam in Sacrarum, & Asceticarum rerum lectione, jugique meditatione maximè oblectari, propemodum visum est, ut hac ratione utcumque, quod conor, assequi liceret, si Sacram Veteris Testamenti Historiam, quam ab Orbe condito per sex Mundi Aetates usque ad Natale Christi Domini digerere, & in optimo lumine collocare studui, offerrem, ac nuncuparem Tibi, Beatissime Pater, qui non tantum Christi in Terris vices geris, sed (sicut docet S. Bernardus) Sanctorum Patrum Veteris Testamenti, quorum heroica Gesta plurimum commendat Historia Sacra, hereditatem, fidem, pietatem, & sapientiam in Te uno colligis, possides, torque, quâ late patè patet, Orbi mirum in modum representas.

Tu

Tu enim, Sanctissime Pater, ut verbis utar melliflui illius Doctoris, (Lib. 2. de Consideratione cap. 6.) es Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, Tu Princeps Episcoporum, Tu haeres Apostolorum, Tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, autoritate Moyses, iudicatu Samuel, unctione Christus.

Præterea, BB. Pater, ut istud Opus, quod de Sacra Veteris Testamenti Historia concinnavi, tuo augustissimo Nomini inscriptum publica luce donarem, admonuit me singulare illud studium, quod Sanctitati tuæ ab ineunte ætate maximopere placuit, Historiæ Sacræ, quæ vicissim suos omnes fontes, intimosque thesauros sic tibi aperuit, ut nihil sit in tota sacra Antiquitate, & in omni prisca Religionis memoria, quod non diligenter excusseris, nihil in Sacris Annalibus, & vetustis Ritibus, quod non è tenebris erutum, & vestigiis omnibus indagatum penitus exploraveris. Huic Sacræ Antiquitatis, & Historiæ studio debes, Sanctissime Pater, quod innumera penè Conciones, quas ad populum olim tanto cum plausu habuisti, & etiamnum habes, mirifica Spiritus Sancti unctione sint perfuse, quod tot libri, quos ad publicam Ecclesiæ utilitatem lucubraſti, omnigena litteratura, & locupletissimis Historiæ Sacræ, Evangelicæ, & Ecclesiasticæ documentis sint referti, quod denique plura, quæ celebraſti, Concilia Beneventana, cum Provincialia, tum Diocesana, puriorem Nobis exhibeant Ecclesiæ Disciplinam. Memini utique ipse, & meminisse iuvabit diu, Sanctissime Pater, quantam hic omnibus jure, ac merito tui moveris admirationem, dum in Concilio Romano (quod Jubilæi anno MDCCXXV. habuisti, cuique ut ipse interessem, hoc me honore dignari voluisti) Sanctitas Tua ex tempore de rebus Divinis, & Ecclesiasticis accuratè, ornatè, & uberrimè differebat, Patrum animos hac illuc, prout opus esset, oratione flectebat, & Sanctissimas Leges, sive ad instaurandam, sive ad sartam rectam conservandam Ecclesiæ Disciplinam ex ditissimo ingenii, ac doctrinæ suæ penu depromebat.

His permotus rationibus, Beatissime Pater, meum in animum induxi istius, quod molitus sum, Operis quasi vestibulum Sanctissimo tuo nomine cobonestare, meique obsequii publi-

cuna

cum specimen malui impar dare, quàm nullum: Sed, ut candidè fatear, deterruerat me statim summa illa, qua præfulges, dignitas, ne istud Opus cum clarissimi tui nominis inscriptione vulgarem, quod illud nimirum, & Sanctitatis Tuæ splendori, & meo desiderio parum oppidè respondere prorsus existimarem. Verum hærenti, cunctantique mihi metum omnem, ac pudorem absterſit eximia Sanctitatis tuæ affabilitas, ac fuci omnis expers benignitas, miramque addidit mihi illam adeuadi, & interpellandi alacritatem, ac fiduciam. Ad tuos igitur, SS. Pater, sacratissimos pedes humillimè provolutus, Summum quidem Pontificem, & Christi in Terris Vicarium in Te profunda veneratione colui, sed simul in Te nactus sum amantissimum omnium Patrem, sine fastu, sine supercilio, facilitate & indulgentia cunctis charum, Majestatem Pontificiam cum maximo candore morum, cum incredibili modestia sociantem, & in occupationibus maximis, continuaque orandi assiduitate Litterarum studia nunquam intermittentem: Verbo dicam, BB. Pater, Te in Summo Pontificatu talem reperi, qualem antea, cum esses Cardinalis, & Archiepiscopus Beneventanus, & verbis, & factis coràm expertus eram, facilem videlicet aditu, comitem in congressu, cuilibet patienter aures commodantem, nihil justa petentibus denegantem, nullis obnoxium affectibus, pauperum, pupillorum, & Viduarum Patronum munificentissimum, Pastorem vigilantissimum, Dei, & Ecclesiæ gloriam sollicitè quarentem, natumque ad benè de omnibus merendum, præsertim de Ordine Prædicatorum, cui Te nomen dedisse palàm gloriaris, & de Schola Thomistica, cujus doctrinæ, quam apprimè calles, Sanctitas tua in Decreto Pontificio, dato die VI. Novembris anni MDCCXXIV. patrocinium suscepit, illam sua auctoritate adversus æmulos obrectatores egregiè vindicavit, & Decessorum suorum Summorum Pontificum vestigiis insistens, immortale ipsi conciliavit decus.

Video, Sanctissime Pater, quàm ingens laudum tuarum hic sese mihi aperiat campus, sed longè impar est mei ingenii vis rebus tantis explicandis Virtutes tuas, omnium seculorum memoria dignas, dicendi viribus exæquare non possum, & ad Tuam Sanctitatis in universam Ecclesiam merita, nullo unquam

tem-

tempore intermorigura, mea certè non aspirat eloquentia, vel potius infantia. Utinam Viri eruditi, & facundia clari hanc in se provinciam suscipiant, omnesque ingenii sui nervos in hoc explicent, ut producant antiquissima Monumenta BENEDICTI XIII. profapia, è qua prodierunt tot Pontifices, tot Cardinales, tot Principes, tot Heroes Christiani, quorum benè multos jam Fastis Sanctorum adscriptos esse legimus in Annalibus Ecclesie: Ut referant itidem Tempia, & Altaria, quæ Sanctitas Tua erexit, & consecravit, Xenodochia, & Nosocomia, quæ excitavit, Seminaria, Collegia, ac Monasteria, quæ fundavit, Sanctiones Cedro, & aureis Ecclesie seculis dignas, quas promulgavit: Ut denique in medium proferant innumera, quæ Sanctitas Tua Vitæ Religiosæ cultoribus contulit beneficia, atque illa secreta pietatis, charitatis, & pœnitentiæ opera, quæ quotidie, remota omnium conscientia, Cœloque dumtaxat teste, exercet, & de industria occultat. Utinam, inquam, detur Viris eruditis, ut velint, tum ea facultas ut possint hæc, & alia id genus, quæ abundè suppetunt, præclara Sanctitatis Tuæ gesta, & quæ ipsius Pontificatum semper illustrabunt, æterna memoriæ consecrare. Ipse verò, B. Pater, virium mearum probè conscius, tuas laudes intactas, & illibatas Viris eruditis, & disertis Oratoribus relinquo, tum quia si eas prosequi hinc vellem, tanta mihi rerum exuberaret copia, ut finem dicendi nunquam reperiret oratio; tum etiam, quia certissimè scio, Sanctitatem Tuam a laudibus ita abhorrere, ut his, quibus suum patrociniū indulget, severè interdicit, ne quid laudis, præconiique ei adspargant. Huic itaque legi, ut paream ipse, nullam hinc laudum Sanctitatis tuæ partem attingam, sed tantummodò quanti fieri debeat hæc in Summo Pontifice humilitas, seu in repudiandis laudibus plusquam humana modestia, referam ex S. Bernardo, qui Eugenium III. Pontificem Maximum, sic affatur; (Lib. 2. de Consideratione cap. 6.) Habes sine defraudatione integrum paternum fundum, pretiosissimus fundus virtus est. Bonus fundus humilitas, in quo omne ædificium spirituale constructum crescit in templum Sanctum in Domino. Cæterum, cum omni indifferenter personæ hæc sit quædam Turris fortitudinis à facie inimici, nescio quò pacto

pacto tamen vis ejus in majoribus, & in clarioribus clarior comprobatur. Nulla splendidior gemma in omni præcipuè ornatu Summi Pontificis. Quò enim celsior cæteris, eò humilitate apparet illustrior & seipso. Deum Optimum precor, ut Sanctitatem Tuam in plurimos annos incolumem, ac florentem, Ecclesie, Litteris, & Orbi servet, quò rebus humanis ex animi sententia compositis, & suæ tranquillitati restituta Ecclesie, serò in Cœlum redeat. Te verò, BB. Pater, obsecro, & obtestor, ut aq̄i, bonique consulas istud qualecumque grati animi, & obsequii mei monumentum, quod Tibi offero, ceu legitimo Christi Vicario, ceu Vigilantissimo universæ Ecclesie Pastori, ceu veræ Religionis, purioris Doctrinæ Moralis, & sanctioris Disciplinæ Ecclesiastica Custodi, Assertori, Vindici, ac Propagatori maximo.

Sanctitatis Tuæ Benedictionem Apostolicam Summa animi demissione efflagitans, & implorans

Fr. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson
Ordinis Prædicatorum.

PRÆ-

PRÆFATIO GENERALIS

In Universam Historiam Ecclesiasticam
Veteris Testamenti,

STUDIOSO LECTORI NECESSARIA.



UM nihil in Vita prius & antiquius unquam habuerim, quam ut meum quantuluncumque talentum in JESU CHRISTI, Domini mei, lucrum impenderem, & omnium animos ad ejus amorem pro viribus in meis lucubrationibus inflammarem; totum me multis abhinc annis addixi studio tam Sacrae Historiae Veteris Testamenti, quam Historiae Evangelicae, & Ecclesiasticae; ut JESU CHRISTI, à quo, ceu fonte, bonorum omnium Summa proficiscitur, Divina Mysteria cognoscerem, eademque opera investigarem singula Monumenta, quae pertinent ad Historiam Ecclesiae, quam JESU CHRISTUS suo Sanguine acquisivit. Verum, in hoc utilissimo studio postquam me diu exercuissem, jamque, propitio Numine, Mysteria JESU CHRISTI variis Dissertationibus illustrata, & universam Historiam Ecclesiasticam à Natali CHRISTI ad hanc usque nostra tempora pluribus Colloquiis digestam, luce publica donassem, istud tandem Opus aggressus sum, ut ostenderem, Historiam Sacram Veteris Testamenti, tota quanta est, referri ad JESUM CHRISTUM, tantam esse Sacrorum, quos complectitur, Librorum harmoniam cum Historia JESU CHRISTI, à quatuor Evangelistis descripta, tantam esse concordiam figurarum, caeremoniarum & Sacrificiorum Legis cum veritate Evangelii, tamque mirabilem Vaticiniorum vetustissimae Antiquitatis cum exploratissima rerum longe post gestarum Historia relucere contentum, ut, conferendo Veteris Testamenti Typos, & Prophetarum Oracula, quorum illi JESUM CHRISTUM delineant atque adumbrant; hanc eum adventantem velut oculis Fidei demonstrant; nullo negotio quisque intelligat, nihil gestum esse à JESU CHRISTO, quod multò antea non depinxerint, non cecinerint Sacri Vates; nihil esse in illius Doctrina, & in Divinis, quae in terris peregit, Mysteriis, cui non respondeat aliquis Veteris Testamenti locus; nihil fere in Litteris Evangelicis proditum esse, quod non multis ante saeculis proditum fuerit.

teris

teris Testamenti Voluminibus, subindeque omnes Mosaicae Legis Typos ac caeremonias, omnia ejus Sacramenta & Sacrificia, necnon à Prophetis fusa Vaticinia in JESU CHRISTO, ad quem haec singula recta collimabant, fuisse ad amissim completa; *Finis Legis Christus est*, ait Apostolus Paulus Epist. ad Romanos c. 10. v. 4.

Constanti hujus Doctrinae veritati, quam ipse in isto, quod concinnavi, Opere patefacere, atque in praclaro lumine, bene fortunante Deo, collocare satagam, luculentissimum perhibet testimonium JESUS CHRISTUS, qui saepius in Sacro Evangelio disertis verbis ait, Prophetas Veteris Legis praedixisse ejus adventum, totius vitae oeconomiam; omnesque illius passionis ac mortis praenotasse circumstantias. At enim, Christus Dominus in eo Colloquio, quod post Resurrectionem suam habuit cum duobus Discipulis suis, euntibus in Castellum Emmaus, eos, de ipsius Resurrectione subdubitantes, increpuit his verbis: *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt Prophetae! Nonne haec oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moysse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de se ipso erant*, Luc. c. 24. Eandem Veritatem Christus Dominus, dum adhuc in terris esset, inculcabat Judaeis dicens c. 5. Evang. Jo: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere, & illae sunt, quae testimonium perhibent de me*. Et, paucis interjectis, subdit Christus, alloquendo Judaeos. *Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Haec Christi Domini Oracula locupletissimis testimoniis confirmant ejus Apostoli, quos inter, duos duntaxat, ne longior sim, proferam in medium, Petrum & Paulum, qui hujus doctrinae, quam à Christo Domino acceperant, testes sunt omni exceptione majores. In primis, S. Petrus, Princeps Apostolorum, in sua 1. Epist. c. 1. 9. & seq. sic adhortatur fideles: *Reportantes finem Fidei vestrae, salutem animarum. De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetae, qui de futura in vobis gratia prophetarunt; scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, praenuncians eas, quae in Christo sunt passiones, & posteriores glorias; quibus revelatum est, quia non sibi metipsis, vobis autem ministrabant ea, quae nunc nunciata sunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis, Spiritu Sancto misso de Coelo, in quem desiderant Angeli prospicere*. Nec minus disertè loquitur Apostolus Paulus, Doctor Gentium cap. 23. Actor. Apostolorum, ubi coram Rege Agrippa causam suam adversus Judaeos perorans, haec appositè dicit: *Auxilio autem adjutus Dei, usque in hodiernum diem sto, testificans minori atque majori, nihil extra dicens quam ea, quae Prophetae locuti sunt futura esse, & Moyses; si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annunciaturus est populo, & Gentibus*.

Quae cum ita sint, candidè Lector, in hanc praecipuam curam incumbere debemus, ut Jesum Christum sollicitè quaeramus in Sacra Veteris Testamenti

Hist. Veter. Testam. Tom. I.

b

Hi-

Historia, quæ bene multis præfulget veritatis characteribus, qui divinam ei afferunt auctoritatem, & quorum præcipuos hic breviter indicabo, ut te ad jugem illius lectionem hortari, invitare, & animare possim.

Primus Veritatis Historiæ Sacræ Veteris Testamenti character est *Antiquitas*. Omnium quippe Gentium non solum Persarum & Græcorum, sed etiam Ægyptiorum, Chaldæorum, & Assyriorum primus Scriptor est *Moyſes*, Judæorum legislator, & Auctor Pentateuchi, ex quo Ethnici Philosophi, Poetæ, Oratores, & Legum latores multa delibarent, excerpterunt, ac deflorarunt, sicut postea copiose ostendemus.

Alter Veritatis Historiæ Sacræ Veteris Testamenti character, est mirabilis illius, tot inter ac tantas vicissitudines temporum, & rerum perturbationes, conservatio, quæ soli providentiæ Divinæ accepta referri debet, cum alii libri, qui olim ab Ægyptiis, a Romanis, & ab aliis Nationibus, tenebris Idololatriæ immerſis, tanquam Divini habebantur, temporis, rerum omnium edacis, diuturnitate perierint.

Tertius Veritatis Historiæ Sacræ Veteris Testamenti character petitur ex innumeris penè testimoniis Ethnicorum Scriptorum, qui de Historia Sacra, libris Veteris Testamenti contenta, vel disertam mentionem fecerunt, vel diversarum Nationum, videlicet Assyriorum, Babyloniorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum Hystorias describentes, multa litteris prodiderunt, quæ cum Sacra Historia maximam affinitatem & agnationem habent, sicut ex his, quæ passim in isto Opere dicturi sumus, liquido patebit.

Quartus Veritatis Historiæ Sacræ Veteris Testamenti character, est Legis Mosaicæ & Præceptorum, quæ tradit, Sanctitas. Si enim lex Mosaicæ cum Gentium Prophanarum legibus conferatur, si mores Hebræorum, olim secundum illam Legem viventium, cum Ethnicorum moribus componantur, Sole clarius constabit, Legem Mosaicam non tantum damnare nefandos Prophanarum Gentium mores, sed eam etiam tot ad bene sancteque vivendum præscribere præcepta, ut multi Scriptores Ethnici Judæos, in hac Lege institutos, ob morum integritatem, magnis celebrarint encomiis, ut videre est apud *Josephum*, Hebræum, in libris contra Ethnicum *Apionem*, & apud *Eusebium* lib. 10. *Præparationis Evangelicæ*. Eo de argumento itidem perdoctè & eleganter differunt Abbas *Claudius Fleury* in libro, quem Gallice edidit: *De moribus Israelitarum*, *Carolus Sigonius* in lib. *De Republica Hebræorum*, & *Petrus Cunæus* in Lib. *de Republica Hebræorum*. Hæc autem Legis Mosaicæ Sanctitas aperte evincit, eam non esse opus Dæmonis, qui homines pios & bonos efficere non vult, sed potius illos præcipitare & deteriores reddere; nec opus esse Artis politicæ, à qua *Moyſes*, sicut in isto Opere commonstrabimus, fuit penitus alienus; nec opus esse naturæ, quæ sensuum voluptati indulget; nec opus humanæ rationis, quàm multis erroribus obnoxiam superbia & ignorantia decipiunt, sed esse opus Dei, qui hanc Legem dedit Moyſi, & ritus, cæremonias, atque Sacrificia instituit, quibus à Populo Judaico, quem sibi, præ cæteris aliis Nationibus, selegit, coli voluit, multaque edidit Sanctissima præcepta, quæ ad bene moratam Rempublicam Judæorum conservandam erant omnino necessaria.

Sextus Veritatis Historiæ Sacræ Veteris Testamenti character, est ingens multitudo miraculorum ac prodigiorum, quibus Deus, qui nec falli nec fallere potest, divinam illius Historiæ auctoritatem per *Moyſem*, & Prophetas confirmavit. Hæc autem miracula Deum habuisse Auctorem, ex eo potissimum constat, quod patrata fuerint à viris, quorum Scripta nihil aliud spirant quàm sanctitatem, justitiam, pietatem, charitatem & quidquid sublimioris virtutis nomine continetur; quorum doctrina purioribus naturæ & rationis circa Religionem principiis egregie consonat, & est omni humana inventionè sublimior, quorum studium ad unius Dei cultum instituentium, & ad abolendam sacrilegam Dæmoniorum superstitionem unice tendebat; quorum denique perpetuus, sibi que semper constans vitæ tenor summam erga unum Deum reverentiam, erga homines benevolentiam, erga Magicas Artes maximam execrationem ingerebat.

Septimus Veritatis Historiæ Sacræ Veteris Testamenti character, est perfecta illa consensus, quam Libri Sacri Veteris Testamenti habent cum Novi fœderis Libris, quæ enim *Moyſes*, & Prophetæ in suis libris futura prædixerunt, nunc impleta omnino in quatuor Evangeliiis, & in cæteris Novi Fœderis libris tam apertè legimus, ut Novum Testamentum in Veteri, & in Novo Vetus Testamentum contineri videatur. Hæc autem tam perfecta & absoluta consensus nequit esse solers & subtilis commentitiarum fabularum distributio, sed est Divinæ Sacrorum Librorum cum Veteris, tum Novi Testamenti, Auctoritatis irrefragabile argumentum. Hinc Christus Dominus Historiæ Sacræ Veteris Testamenti perhibens testimonium, ait capite 5. Evangelii S. Matthæi: *Amen, amen dico vobis: donec transeat Cælum & Terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant*. Et cap. 16. vers. 39. Evangelii S. Joannis: *Habent Moyſem, & Prophetas, audiant illos*.

Octavus Veritatis Historiæ Sacræ Veteris Testamenti character, est facilis ac clara intelligentia, quam dat de origine, natura & conditione *Adami*, primi omnium hominum parentis, ante & post ejus peccatum. Narrat quippe Historia Sacra Veteris Testamenti, *Adamum* fuisse à Deo creatum perfectum, innocentem, beatissima cœlestium donorum copia, & omnigena virtutum suppellectili exornatum, sed eum, violasse præceptum sibi à Deo impositum, atque hac fatali transgressione mortem, miserias, aliorum malorum agmen tam sibi, quam omnibus suis posteris importasse. Ex hac autem conditione *Adami*, à quo sumus omnes propagati, tria præcipua veræ Religionis Dogmata elucescunt, quæ alioqui a nobis nullo pacto comprehendere possent, & quorum notitiam viri Ethnici, quantumvis excellenti præditi ingenio, assequi nunquam potuerunt, sed potius, velut nocturæ ad solem, prorsus cæcutierunt. In primis, inde intelligimus, peccatum *Adami* non tantum ipsi nocuisse, sed etiam omnibus ejus posteris, ad quos Via ordinaria per generationem transfunditur primigenium illud peccatum; quod *Originale* appellamus. Secundò, agnoscimus necessitatem Incarnationis Filii Dei, Jesu Christi, qui nos per Gratiam suam medicinalem sanaret, illata per Protoparentis nostri labem damna refarciret, & condignam Deo

Patri exhiberet satisfactionem, cui nos exsolvendæ impares omninò eramus. Postremò, perspectam, inde habemus causam, cur omnis Homo post peccatum *Adami* nascatur cum ignorantia in intellectu, cum malitia in voluntate, cum propensione ad malum, cum lucta passionum, totque miseriis & pœnis obnoxius vivat. Hæ siquidem sunt funestæ appendices peccati Originalis. Hæc omnia, quibus vera & antiqua internoscitur Religio, exprimit Sacra Veteris Testamenti Historia, & nullum eorum in prophanis Gentium Historiis vel minimum apparet vestigium.

Denique, ut cæteros alios Veritatis Historiæ Sacræ Veteris Testamenti characteres silentio prætermittam, certum est, stylum, quo scripta est hæc Sacra Historia, esse simplicem & incultum, in quo verba non ornant res, sed ipsa rerum magnitudo Sacrorum Scriptorum mentem & verba supra humanum modulum rapit, ita ut eloquii simplicitas respondeat quidem illis Scriptoribus, sed rerum magnitudo & doctrinæ sublimitas tribui debeant Deo, qui infirmis illis instrumentis, & impolitis organis utebatur. Si igitur Historiam Sacram Veteris Testamenti conferas cum sæcularibus Historiis prophanarum Gentium, vel cum libris Ethnicorum Philosophorum, vel cum eloquentia Oratorum, hæc certè minima in speciem, propter simplicitatem verborum, tibi apparebit, at, si, ut par est, attendas ad rerum magnitudinem, & ad doctrinæ, quam complectitur, sublimitatem, sordescant tibi omnes superstitiosæ gentilitatis libri, & doctrinam Philosophorum tanquam puerilem fugillabis, exfuffabis, atque repudiabis.

Hanc Sacram Veteris Testamenti Historiam, tot veritatis characteribus munitam, à creatione Mundi usque ad Natale Christi Domini in hocce Opere describendi officium suscipio, eamque hauriam è Sacris Libris Veteris Testamenti cum quibus, sicut in progressu hujus Operis palam faciam, variarum exoticarum Nationum, præsertim Ægyptiorum, Assyriorum, Chaldæorum, seu Babyloniorum, Tyrriorum, Phœnicum, Persarum, Græcorum, & Romanorum Annales in his, quæ spectant Historiam, mirifice consentire ostendam. Tempora hujus Historiæ Sacræ accuratiori, ut puto, Chronologia, quæ ad Sacri Textus Hebræi, & Editionis Vulgatæ, à Concilio Tridentino approbatæ, calculos erit exacta, consignabo. Sicut enim probari mihi nunquam potuit Græcorum, seu Scripturæ Sacræ Versionis Græcæ LXX. Interpretum Chronologia, qua abutuntur nonnulli, ut fidem aliquam concilient fabulosis Antiquitatibus, quas de Monarchiarum suarum exordiis perperam jactitant Ægyptii, Assyrii, Chaldæi, & Sinenses; ita nullo pacto assentiri possum quibusdam Chronographis, qui, licet calculos Sacri Textus Hebræi sectentur, promiscuè tamen confundunt annos servitutum Israelitarum cum annis Præfecturæ *Judicum*, sicque Chronologiam Sacram plus justo contractiorem reddunt, aperte reclamante Textu Hebræo in Sacro Libro *Judicum*, in quo anni servitutum Israelitarum accuratè, sicut in Editione Vulgata, distinguuntur ab annis Præfecturæ *Judicum*. Quocircà, candidè fateor, me, in putandis annis, qui à condito Mundo usque ad Natale Christi interfluxerunt, discessisse à quibusdam viris doctissimis, nimirum *Petavio* in Lib. *De Doctrina Temporum*, *Jacobo Usserio* in *Sacris An-*

nalibus Veteris & novi Testamenti, & Lancellorio, cujus Chronologia Sacra edita est ad calcem Bibliorum *Antonii Vitræ*. Sed, nùm iusta de causa ab illis Scriptoribus, qui in studio Chronologiæ Sacræ singularem navarunt operam, recesserim? Et an calculus, quem à Creatione Mundi usque ad Natale Christi subduco, accuratior sit, & Chronologiæ Sacri Textus Hebræi, Editionisque Vulgatæ magis consentaneus? id totum judicio & examini tuo, erudite Lector, lubens permitto. Ut autem Historiæ Sacræ Veteris Testamenti à Creatione Mundi usque ad Natale Christi Domini absolutam possis habere notitiam, nihil eorum, quæ ad eam spectare possunt prætermittam, sed omnia, compendiosè tamen, attingam. Et primò quidem, præcipuas difficultates, quas Theologi, & Scripturæ Sacræ Interpretes circà Historiam Veteris Testamenti ventilare solent, passim proponam ac dilucidabo. Omnium Librorum, quibus Sacra Veteris Testamenti comprehenditur Historia, Divinam auctoritatem asseram ac vindicabo non tantùm contra Atheos, Infideles & incredulos, qui horumce Librorum Antiquitatem, revelationem, & inspirationem negant, sed etiam adversus Hæreticos, qui aliquos Veteris Testamenti Libros expungunt è canone, cui illas accensuit Oecumenica Synodus Tridentina, eorundemque Sacrorum Librorum veros ac genuinos Auctores indicabo. Omnium Patriarcharum antè & post Diluvium, deindè *Moyfis*, *Josue*, *Judicum*, singulorum Regum, tam Judæ, quàm Israelis, dicta ac Gesta perstringam; atque Historias *Jobi*, *Ruth*, *Tobiæ*, *Judithæ*, *Estheris*, cunctorum Prophetarum, qui sive sub Regibus Judæ, sive sub Regibus Israelis vaticinati sunt, attexam, necnon Ducum Assamonæorum, seu Machabæorum, qui Reipublicæ Hebræorum præfuerunt, res præclare gestas describam. Legem Mosaicam cum præceptis, quæ complectitur, naturalibus seu Moralibus, cæremonialibus & judicialibus cum Sacrificiis, & aliis id genus ad cultum, & Judaicam Religionem attinentibus, datam esse à Deo evincam contra duos præsertim Novatores, *Marshamum*, & *Spencerum*, qui impiè pertendunt, Ritus, qui in Lege Mosaica præscribantur, non à Deo traditos ac institutos fuisse, sed ex Ethnicorum superstitionibus esse profectos, videlicet *Circumcisionem* ex Æthyopum, Colchorum moribus; *Tabernaculum* ex prophano *Molochi* cultu; *Arcam* ex Ethnicorum Cistis; *Cerberinos* ex Ægyptiacis Simulacris; *Templum Hierosolymitanum* ex ruditate Gentium originem traxisse. Hæc, & alia ejusmodi, quæ Historiæ Sacræ lucem affundere, vel splendorem aliquem afferre possunt, ita, auxiliante Deo, in isto Opere colligere scitè ac disponere conabor, ut mihi justè succensere haud possis, quòd in Sacra Veteris Testamenti Historia, variis licet eventibus locupletissima, & per multa Sacra Volumina latissimè diffusa, quidquam scitu dignum prætermiserim, vel de styli barbarie aut obscuritate queraris, cum eo inter scribendum stylo data opera usus sim, qui, sicut non est affectatus, ita nec obscurus, nec barbarus humi repit, sicque, ut spero, omnia tibi erunt facilia, prona, clara & expedita, modò non te pigeat ad percipienda & memoriæ mandanda singula, quæ referam, Historiæ Sacræ Veteris Testamenti Monumenta, patientiam commodare. Denique, ex lectione istius Operis, quod in rem tuam

adornavi, hunc singularem fructum elicies, ut viam, modumque intelligas Jesum Christum, cui omnia studia nostra consecrare debemus, quaerendi & facile inveniendi in Sacra Historia Veteris Testamenti. Quam felicem sortem ut securius nancisci valeas, auctor tibi sum, ut saepius hanc ad Deum effundas orationem, quam *S. Augustinus* cap. 11. Lib. XI. *Confessionum* studioso Sacrae Scripturae Lectori suppeditat, quaeque his verbis concepta est: *Domine Deus meus, intende Orationi meae, & misericordia tua exaudiat desiderium meum: sint castae deliciae meae scripturae tuae, nec fallar in eis, nec fallam ex eis. Domine adtende & miserere, Domine Deus meus, lux caecorum, & virtus infirmorum, statimque lux videntium, & virtus fortium, adtende animam meam, & audi clamantem de profundo. Largire spatium meditationibus nostris in abdita legis tuae, neque adversus pulsantes claudas eas. Neque enim frustra scribi voluisti tot paginarum opaca secreta. O Domine, perfice me & revela mihi eas. Confitebor tibi quidquid invenero in libris tuis, & audiam vocem laudis, & bibam te & considerabo mirabilia de lege tua ab usque principio, in quo secisti Coelum & Terram, usque ad Regnum tuum perpetuum Sanctae Civitatis tuae. Vide Domine Deus meus, unde sit desiderium meum. Narraverunt mihi injusti delectationes, sed non sicut lex tua, Domine. Ecce unde est desiderium meum. Vide Pater, adspice, vide & approba, & placeat in conspectu misericordiae tuae invenire gratiam ante te, ut aperiantur pulsanti mihi interiora sermonum tuorum obsecro per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, virum dexterae tuae, filium hominis, quem confirmasti tibi, Mediatorem tuum & nostrum, per quem nos quaesisti non quaerentes te; unicum tuum, per quem vocasti in adoptionem populum credentium, in quo & me: per eum te obsecro, qui sedet ad dexteram tuam & te interpellat pro nobis, in quo sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiae absconditi. Ipsum quaero in libris tuis. Moyses enim de illo scripsit. Hoc ipse ait, hoc veritas ait. Caeterum, istud, quod in rem studiosae juventutis lucubravi, Opus summa, ut par est, reverentia & devotione subijcio Ecclesiae Romanae, omnium Ecclesiarum Matris & Magistrae, & Summi Pontificis, doctrinarum omnium ac librorum supremi judicis, examini & auctoritati, palamque profiteor, me ad ultimam usque vitae periodum, hoc est quamdiu quidquam spiritus calebit in corpore meo; semper Cathedrae Sancti Petri, ex qua Veritatis funduntur oracula, & Doctrinae Fidei, Morum Disciplinae, quae in ea docetur & traditur, ab Apostolis acceptae, & ad nostram usque memoriam per continuam & nusquam interruptam Romanorum Pontificum successionem propagatae, jugiterque conservatae, firmiter adhaesurum, meque potius membratim discerptum iri, quam ut a Sedis Apostolicae Constitutionibus vel latum quidem unguem desciscam.*

NOS FRATER THOMAS RIPOLL

Sacrae Theologiae Professor,

Totius Ordinis Fratrum Praedicatorum Magister
Generalis & Servus.

CUM Nobis exponatur, à Te fuisse recens editum Opus, cui titulus est: *Historia Ecclesiastica veteris Testamenti &c.* quod praelo mandari peroptas: Harum serie, nostrique auctoritate Officii, Tibi Reverendo admodum Patri Fr. Ignatio Hyacintho Amat de Graveson, Provinciae nostrae gallo-Provinciae Conventus Arelatensis alumno, in Sacra Facultate Parisiensi Doctore, ac Collegii Casanatenfis Conventus S. Mariae super Minervam de Urbe Theologo, licentiam facimus & facultatem impertimur praedictum Opus publicam in lucem typis mittendi, dummodò prius fuerit duorum Ordinis nostri in Theologia Magistrorum censorio judicio comprobatum, aliaque serventur de jure servanda. In quorum fidem.

Datum Romae in Conventu nostro S. Mariae super Minervam die prima Februarii MDCCXXVI.

Fr. Thomas Ripoll, Magister Ordinis.

Reg. fol. 89.

Fr. Joannes Sicard, Magister & Socius.

APPROBATIO.

Historiam Veteris Testamenti, ab Admodum R. P. Magistro Ignatio Hyacintho Amat de Graveson, Sacrae Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatenfis Theologo, Ordinis Praedicatorum, viro Urbi, & orbi optimè noto, omnigena eruditione pollente, per sex Mundi aetates clarè dispositam, ac mirabili ingenio compositam, in tres Tomos distributam, ex Commissione Reverendissimi P. F. Gregorii Selli, Sac. Palat. Apost. Magist. tota mentis Jucunditate revolvì; atque in ea cum nihil, quod Catholicum dedecet, omne verò, quod Religiosissimum virum decet, invenerim; ideo ut publici Juris fiat existimavi; ad hoc ut si in Litterario Orbe per priorem Historiam, (novi scilicet Testamenti) uberes produxit fructus eruditionis, uberiores producat per Posteriores. Ita salvo &c. Dabat in Collegio Sanctae Mariae de Victoria Romae 26. Novembris 1726.

Fr. Leo à S. Felice, Carmelita Excalceatus, S. Theol. Praeceptor ac Sacrarum Congreg. Indicis, & Sac. Rituum Consultor.

A P P R O B A T I O .

Summis omnium Historiæ Ecclesiasticæ studiosorum votis, ut faceret satis vir Clarissimus Fr. Ignatius Hyacinthus Amat de Gravefon, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, & Collegii Casanatensis Theologus, post elaboratam, publicæ Juris factam præcellentem illam à Christi Natali ad nostram usque tempestatem Ecclesiæ Historiam, cunctorum jampridem Eruditorum calculis celebratam; eandem ipse impræsentiarum Historiam, ab orbe condito ad Salvatoris nativitatem, superis benè fortunantibus, perduxit. Quam quidem præstantissimi Authoris Historiam, ex præscripto Reverendissimi Patris Thomæ Ripoll, Ordinis Prædicatorum Magistri Generalis, cum ad examen vocarem, tantum abest, ut in ea quidquam offenderim, quod sive Aristarchi grave supercilium, sive mordacem Zoili linguam oblectat, ut potius quid primum suspicere debuerim? haud dictu facile sit. In ea quippe Patriarcharum, Judicum, Regum Juda & Israel, Prophetarum, Ducum, & Pontificum Hebræorum Vitas, ac res præclare gestas, perspicuo ordine, atque amœna methodo, ob oculos ponit. In ea majores historiæ difficultates discutit explanatque. In ea gravissimas Chronologiæ controversias ad certas epochas, certasque Criticæ leges exigit. In ea denique styli nobilitate splendore, majestate ubique fulget: Id quod lectorem, mirum quantum oblectat, rapit, & ad legendum, vel invitum cogit. Hæc cum ita sint, Author sum, ut hoc eximium Opus, numeris omnibus absolutum, cedroque dignum, atque orthodoxæ fidei, & Christianis moribus consentaneum, in apertum proferatur. Cæterum, viris Historiæ Ecclesiasticæ Veteris Testamenti cupidis, id consilii dederim, neque me dedisse pigebit, ut Historiam hanc præ manibus semper gestent, legant, perlegant, in paucis charam habeant. Nam quidquid in infinitis, propè dicam, ea de re, antiquorum, novissimorumque temporum Historicis selectum reperitur, totum hoc sedulo, ac diligenter, hic diffusum, digestumque esse, perutili certè experimento comprobabunt. Datum Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam die 20. Novembris, Anni 1726.

Fr. Patricius Plonket, Sacræ Facul. Parisiensis Doctor, & Collegii Casanatensis Theol. Ord. Præd.

A P P R O B A T I O .

Jubente Reverendissimo Patre Gregorio Sella, Sacri Palatii Magistro, Opus legi, cui titulus: Historia Ecclesiastica veteris Testamenti in Rem Theologiæ Candidatorum, auctore Fr. Ignatio Hyacintho Amat de Gravefon, Ordinis Prædicator. In quo variam auctoris piissimi doctrinam, ubertatem dicendi, omnigenam veteris Historiæ cognitionem sum admiratus non semel. Cumque omnia Romanæ nostræ Catholicæ Fidei consona prorsus repererim, Opus dignissimum luce publica, imò Religionis Christianæ amatoribus necessarium censeo. Datum Romæ die 26. Novembris 1726.

Johannes Bouget, Prior S. Martini di Scey, in Archigymnasio Romano Linguae Græcæ, & in Collegio Urbano de Propaganda Fide Linguae Sanctæ Lectore.

A P-

Országos Rabbiképz - Zsidó Egyetem Könyvtára

A P P R O B A T I O .

Historiam Ecclesiasticam Veteris Testamenti in tres tomos divisam, sex Mundi complectentem ætates, ab Orbe ipso condito ad Natale usque Jesu Christi, à præclarissimo Viro Fr. Hyacintho Amat de Gravefon, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatensis Theologo, concinnatam, jussu Reverendissimi P. Fr. Thomæ Ripoll, Sacræ Theologiæ Professoris, ac totius Ordinis Prædic. Generalis Magistri, legi tanta animi voluptate, quanta luculentia splendet. Sed (eam) legendo, dum cupio sedare suum, suis altera accrescit (Mantuanus in elogio Mrand.) (fateor cum Mantuano) alia, seu nova evolventi Authoris edenda opera, his germana, & præcedentibus, jam iterum, atque iterum, brevi tempore, publica luce donatis, quæ me sic, gradatim lecta, sitire fecere. Et primò quidem illud de Vita, Mysteriis, & annis Christi, duobus tomis comprehensum; quò mihi de Authore dicere fas est, quod olim (S. Hieronymus in Epist. 3. ad Heliodorum.) Hieronymo de Nepotiano: *Lectione assidua, & meditatione continua, pectus suam Bibliothecam fecerat Christi: Nec non & alter de Sacra Scriptura Tractatus; ubi feliciter contra Infideles, Judæos, & Hæreticos laboravit. Historia insuper Ecclesiæ à Christo nato ad nostram usque ætatem, novem tomis, & altero omnium Indice; in qua feliciter. Et ista novissimè Veteris Testamenti Ecclesiastica Historia, ab Orbe condito ad Natale usque Salvatoris, per sex Mundi ætates continenter producta, res, Historiam, Dogmata, Legem, Chronologiam, & Hebræorum Disciplinam spectantes, miro ordine, ac omnigena eruditione, variis digesta colloquiis, perstringens; in qua felicissimè. Semper enim Sapienti restabit quod inveniat, inquit Seneca (Epist. 109.) Et fanè hoc in opere pretiosum à vili separatim inveni; multas Poetarum, Rabbiorum, & prophætorum Fabulas Scripturarum, putidaque quarundam Nationum castigata mendacia: momenta quæque, in rebus controversis, æqua lance librata, ac pro veritate, aut majori verisimilitudine latam justè ab Authore sententiam: Qui non ventis mentem suam, vanisque figmentis, sed veritatibus & sententiis, ratione, & auctoritate fulcitis pascere solitus, difficultatum confinia consignat, & nodos quosque, etsi implicatissimos, clarè, breviter, ac profundè dissolvit; tantoque fœdere ista conferit, ut nec claritatem minuat profunditas, nec brevitati noceat claritas: sed salva utriusque proprietate, in unam coeunt Operis & Opificis laudem, quem æterno nomine, felici omine hæreditandum clamant. Atque id equidem in hujus Operis Authore mirandum maximè, quod suis in Colloquiis simul elegans dicendi, & argutum sequatur genus disputandi: nam de rebus obscuris, & ad intelligendum difficilibus dilucidè dicere, nec sententiis solum arguè: sed verbis etiam ornate, adeo est operosum & arduum, (vir ille eruditissimus Melchior Cano monebat, Lib. 1. De Locis in Proæmio) Ut paucis visum sit accidisse. Idcirco Opus hoc, omnibus numeris absolutum, suoque dignum Authore, prælo dignissimum judico; quod claritate Candidatis, quibus dicatur, profunditate Magistri, & veritate, omnibus spectetur profuturum, nihilque in eo inveniri Fidei Catholicæ, aut bonis moribus non consonum. Ita censeo salvo &c. Romæ in Collegio Casanatensi die 25. Nov. an. 1726.*

Fr. Joseph Salas, Sacræ Theolog. Magister & Collegii Casanatensis Theologus, Ord. Prædic.

A P-

A P P R O B A T I O .

Nihil Viro Religioso convenientius est ac dignum magis, quàm ingenii sui vires ed convertere, ut Sacræ Doctrinæ promoveat studium, purioresque ipsius fontes Junioribus candidatis adaperiat. Huic intentus Consilio R. A. P. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon, Sac. Facult. Paris. Doctor, & Collegii Caſanatenſis Theologus, Ordinis FF. Prædicatorum, poſt evulgatam per alternas Quæſtiones & reſponſiones Chriſti Eccleſiæ Hiſtoriam, quam Litterarius Orbis ſummo plauſu excepit, eodem ſtyli nitore, parique Methodo, fœderis antiqui ſeriem Hiſtoricam adornare conſtituit, ut qui Eccleſiam cum Chriſto ſurgentem, per Apoſtolos propagatam, variis perſecutionum ac hæreſeon fluctibus jactatam, ſed in omnibus glorioſam ac triumphantem exhibuerat, in Synagoga velut delineatam & in umbra Legis deliteſcentem exponeret. Hoc autem Opus in tres Tomos diſtributum, Jubente Reverendiſſimo S. P. A. Magiſtro, attentè perlegi, in eoque nihil reperi quod puritati morum, Catholicivæ Dogmatibus repugnaret, imò omnia utriuſque maxime conſona: Unde eximium iſtud Opus à Theologiæ Candidatis nocturna ac diurna manu verſandum eſſe cenſeo. In eo enim quiſque Sublimem Theologum, Criticum ſagacem, accuratum Chronographum, Doctiſſimum Interpretem, ac tandem utile dulci permixtum ubique admirabitur. Quamobrem publica luce digniſſimum iudicio. In Quorum fidem ſubſcripſi Romæ in Regio Sanctiſſimæ Trinitatis Conventu die 24. Octobris Anni 1726.

Fr. Franciſcus Bertrand, Ordinis Minimorum,
S. Theologiæ Profeſſor.

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

A Vendo veduto per la Fede di Reviſione, ed approvazione del Padre Fr. Tommaſo Maria Gennari Inquiſtore nel Libro Intitolato *Hiſtoria Eccleſiaſtica Veteris Teſtamenti*, Auſtore Fr. Ignatio Hyacintho Amat de Graveſon, non vi eſſer coſ' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Secretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a Gio: Battista Recurti Stampatore, che poſſi eſſere ſtampato, offervando gli Ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 19. Luglio 1727.

(Alvise Piſani Kav. Proc. Riſſor.
(Z. Pietro Paſqualigo Riſſor.

Agostino Gadaldini Segr.

INDEX

Országos Rabbiképz - Zsidó Egyetem Könyvtára

I N D E X
C O L L O Q U I O R U M

Quæ in Tribus hujus Voluminis Tomis continentur.

C O L L O Q U I A

P R I M I T O M I

In Hiſtoriam Primæ Mundi Ætatis.

C O L L O Q U I U M I.

IN quo ſingula, quæ ad Mundi creationem, & Adami innocentis ſtatum pertinent, & explaantur, & fabulæ, ac errores, quos circa primam Mundi Ætatem præcederunt Scriptores prophani, exufflantur. pag. 7.

ma, & annorum vitæ ſummam complectens. 91

In Hiſtoriam Secundæ Mundi Ætatis.

C O L L O Q U I U M P R I M U M .

In quo agitur de his, quæ ſpectant ſecundæ Mundi Ætatis Hiſtoriam. 95

C O L L O Q U I U M I I .

In quo diluuntur Dubia, quæ in Hiſtoriam ſecundæ Mundi ætatis viri eruditi proponere ſolent. 116

C O L L O Q U I U M I I I .

De Geſtis Patriarcharum ſecundæ Mundi ætatis, & de accurata in illorum ſubducendis annis Chronologia. 135
Calculus Patriarcharum ſecundæ Mundi ætatis juxta Codices Hebræos. 152
Calculus Patriarcharum ſecundæ Mundi ætatis juxta Codices Græcos. 153
Calculus Patriarcharum ſecundæ Mundi ætatis, juxta Codicem Samaritanum. 154

C O L L O Q U I U M I I .
In quo diſcuntur ac dirimuntur difficultates, quas de ſtatu Adami poſt peccatum proponere ſolent Theologi. 46

C O L L O Q U I U M I I I .

De Vita & Rebus, quæ à Patriarchis antediluvianis geſtæ ſunt, & de vera in eorum ſubducendis annis Chronologia. 74

Genealogia Adami per filium ſuum Cainum, quæ Deo exoſa fuit. 84

Genealogia Adami per filium Sethum, quæ Deo grata & accepta fuit. 85

Tabula Chronologica, complectens annos generationum Patriarcharum antediluvianorum, juxta Codices Hebræorum, Græcorum, & Samaritanorum. 90

Tabula Chronologica, decem Primorum Patriarcharum ante Diluvium, ſtem-

COL-

COLLOQUIA
SECUNDI TOMI

In Historiam Tertiae Mundi Aetatis quae incipit à vocatione Abrahami, & protenditur usque ad ingressum Populi Israelitici in Aegyptum.

COLLOQUIUM I.

IN quo attinguntur singula, quae vel ad Sacram tertiae Mundi Aetatis Historiam pertinent, vel elariori ejus intelligentiae inservire possunt. 5

COLLOQUIUM II.

In quo proponuntur Dubia, quae tam Theologi, quam Scripturae Sacrae Interpretes, circa Historiam tertiae Mundi Aetatis ventilare solent. 30

COLLOQUIUM III.

In quo referuntur Patriarcharum tertiae Mundi Aetatis, praecipua Gesta, & Scripta, quae Jesum Christum, verum Messiam, vel adumbrant, vel vaticinantur, ibidemque in putandis annis Patriarcharum ejusdem aetatis accurata stabilitur Chronologia. 60
Tabula Chronologica, in qua Anni, & Gesta Patriarcharum, qui vixerunt in tertia Mundi Aetate, connectuntur cum annis Mundi qui effluerunt à vocatione Abrahami, à qua tertia Mundi Aetas sumit exordium, usque ad Israelitarum ex Aegypto egressionem, in qua desinit eadem Mundi Aetas. 89

In Historiam Quartae Mundi Aetatis.

COLLOQUIUM PRIMUM.

In quo referuntur ea, quae Hebraeis, ab eorum ex Aegypto profectio, usque ad Legem datam Moyse à Deo in Monte Sinai, &, post Legem datam,

acciderunt usque ad obitum Moyse, ibidemque explicantur res praecipuae, quae continentur in eadem Legge, videlicet, Praecepta, Ritus, Sacrificia, Immunditiae Legales, Sacramenta, Festa, Sacerdotum Consecrationes, & alia id genus, quae Sacra & Religionem Hebraeorum spectant. 99

COLLOQUIUM II.

In quo quaedam Dubia, sive ad Legem Mosaicam, sive ad Historiam quartae Mundi Aetatis attinentia, quae à Theologis, vel Scripturae Sacrae Interpretibus proponi solent, discutuntur ac diluuntur. 129

COLLOQUIUM III.

In quo Gesta Josue, in regimine Reipubl. Hebraeorum successoris Moyse, nec non Judicium, & Regum, qui Hebraeis praesuerunt usque ad IV. annum Regni Salomonis, quo jacta sunt Templi Hierosolymitani fundamenta, describuntur, ibidemque accurata traditur series annorum, qui in quarta Mundi Aetate, hoc est, ab exitu Populi Israelitici ex Aegypto usque ad quartum Salomonis annum effluerunt. 161

Tabula Chronologica Sexcentorum & sex annorum, qui in quarta Mundi Aetate, hoc est, ab exitu Israelitarum ex Aegypto usque ad quartum Regni Salomonis annum, usque ad fabricam Templi Hierosolymitani, interfluxerunt. 187

COL

COLLOQUIA
TERTII TOMI

In Historiam Quintae Mundi Aetatis quae incipit à quarto Regni Salomonis anno, quo jacta sunt Templi Hierosolymitani fundamenta, & producit usque ad Captivitatem Babylonicam.

COLLOQUIUM I.

IN quo, juxta Historiam, cum Sacram tum Prophanam, Series & Gesta Regum Judae, & Israelis describuntur, eademque opera, eorum regiminis accuratus annorum traditur calculus. 5

Tabula Chronologica Regum Judae, à Davide usque ad Sedekiam. 23

Tabula Chronologica Regum Israel, in qua breviter annotantur eorum anni, & praecipua gesta usque ad integram Regni Israelitici eversionem. 25

Series Regum Romanorum, & anni, per quos Roma regnavit. 34

COLLOQUIUM II.

In quo executiuntur ac breviter diluuntur praecipua Dubia, quae Theologi, & Scripturae Interpretes circa Sacram Historiam quintae Mundi Aetatis proponere solent. 35

Canon Chronologicus ab anno undecimo Joakimi, Regis Judae, quo cepit captivitas Babylonica, usque ad annum primum Regni, quod Cyrus inivit in Babylonia tanquam supremus Monarcha. 52

COLLOQUIUM III.

In quo describuntur Vitae Prophetarum, qui in quinta Mundi Aetate, seu ante Captivitatem Babylonicam, vixerunt, & sub Regibus Judae, & Israelis plura fuderunt Oracula, quae

in Jesu Christo, vero Messia, clarissimo exitu fuerunt adimpleta. 71

In Historiam Sextae Mundi Aetatis, quae à Captivitate Babylonica sumit initium, & finem habet in Natali Jesu Christi Salvatoris nostri. 107

COLLOQUIUM PRIMUM.

In quo describuntur res praecipuae, quae Judaeis, durante captivitate Babylonica, acciderunt sub Monarchia Regum Babylonicorum, eorumque exhibitur status, post solutam captivitatem Babylonicam, sub Monarchia Persarum, sub Monarchia Graecorum, regnante Alexandro Magno, &, post illius obitum, sub Regibus Aegypti, & Syriae. 111

Tabula Chronologica exhibens initium & finem Monarchiae Persicae, per continuam successionem Regum, qui ciperunt. 112

Series Regum, qui successerunt Alexandro Magno in Regno Macedoniae. 125

Series Regum, qui, demortuo Alexandro Magno, in Regno Aegypti successerunt. 127

Series duodecim priorum Regum, qui, defuncto Alexandro Magno, in Regno Syriae successerunt. 136

COL

COLLOQUIUM II.

In quo proponuntur ac diluuntur Dubia, quæ circa Historiam sextæ Mundi Ætatis, tam Theologi, quàm Scripturæ Sacræ Interpretes agitare solent. 140

COLLOQUIUM ULTIMUM.

In quo produntur res præclaræ, gestæ à Machabæis, qui, post Captivitatem Babylonicam, summa apud Judæos auctoritate potiti sunt usque ad Hero-

dem, alienigenam, quo in Judæa regnante, natus est Jesus Christus, ibidemque attexuntur varix Judæorum Sectæ, aliquot Historiæ Romanæ monumenta, & Canon Chronologicus annorum, qui à Captivitate Babylonica usque ad Natale Christi Domini interfluxerunt. 174

Tabula Chronologica Sextæ Mundi Ætatis, hoc est, à captivitate Babylonica usque ad Natale Christi Domini, non tantum per annos à creatione Mundi, sed etiam per annos Olympiadum, Æræ Nabonassar, & à condita Roma, accuratè digesta & ordinata. 205



HISTORIA
ECCLESIASTICA
VETERIS TESTAMENTI
TOMUS PRIMUS,
COMPLECTENS
PRIMAM, ET SECUNDAM
MUNDI ÆTATEM.

HISTORIA
ECCLESIASTICA
VETERIS TESTAMENTI,
TOMUS PRIMUS
COMPLECTENS
PRIMUM, ET SECUNDAM
MUNDI ÆTATEM.



HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS TESTAMENTI,

IN REM THEOLOGICÆ CANDIDATORUM,

Per sex Mundi Ætates ab Orbe condito ad Natale usque JESU CHRISTI SERVATORIS nostri, continenti ordine producta, variisque colloquiis digesta, ubi Res præcipuæ, quæ ad Historiam, Dogmata, Legem, Chronologiam, & Disciplinam Hebræorum spectant, per breves Interrogationes & Responiones perstringuntur, & in præclaro ordine collocantur.

PRÆFATIO, ET INSTITUTI OPERIS RATIO.

DUM mihi gratulari incipiebam, quod ex immenso, & innumeris infesto scopulis, ad quos non offendere, non allidi difficillimum est, Historiæ Ecclesiasticæ pelago, cui me commiseram, haud infeliciter enavigassem, jamque portum tenens, diu exoptato otio deinceps fruiturum me sperabam; Ecce subito amici aurem meam vellicare, meque ad solitum laborem revocare ceperunt. Heus tu, dixerunt, quorsum, post illam, quam a Christo nato usque ad nostram memoriam nuper in lucem emisisti, Historiam Ecclesiasticam, vis intempestivo indulgere otio, & porrectis pedibus in utramvis dormire aurem? Numquid vides, Ecclesiæ Historiam, quam a Christo nato lucubrasti, mancam & imperfectam fore, nisi ei adjicias Veteris Testamenti Historiam Ecclesiasticam, quæ tam arctam cum Historia Ecclesiæ, quam Christus acquisivit Sanguine suo,
Hist. Ver. Test. Tom. I.

A affi-

affinitatem & connexionem habet, ut si id genus argumenti intactum omnino prætermittas, aliquid tuis lucubrationibus, jam publica luce donatis, deesse jure optimo querantur Lectores? Historia quippe Ecclesiastica Veteris Testamenti, tota quanta est, recta collimat & ordinatur ad Jesum Christum, verum Messiam, qui est finis & plenitudo totius Legis, quem Patriarchæ expectarunt, quem Propheta prædixerunt, in quem venturum antiqui justi crediderunt, quem postremo Legis Mosaica figura, Cereemonia, Ritus, Sacramenta, Sacrificia, Festa, aliaque id genus Hebræorum monumenta adumbrarunt, & quasi digito commonstrarunt. Maeste itaque animo, & abjecta omni mora, Veteris Testamenti Historiam Ecclesiasticam, seu res ab exordio Mundi usque ad Natale Christi Domini Sacris Literis editas, compendiose describendi novum, quod tibi imponimus, alacri animo suscipe onus, ut hoc pacto perfecta, omnibusque suis numeris absoluta evadat illa, quam concinnasti, Historia Ecclesiæ, quæ a Christo Domino instituta perpetuo est duratura. His amicorum pulsatus machinis, non statim morem gessi, sed potius ab hoc literario suscipiendo negotio abhorrens, mihi que duntaxat ac Musis intra siparium canere tutius, ac opportunius ducens, moras consulto neciebam, meque tam alto mari permittere non ausus, pedem retrahere cogitabam. Videbam siquidem argumentum varium pariter ac vastum, quod in amplissimum volumen esset evasurum, si justa cura, ut par erat, tractaretur. Sciebam etiam, bene multos hujusce tempestatis scriptores, magno & excellenti ingenio præditos, & Linguarum exoticarum peritissimos, eandem Spartam suscepisse, eamque tanta cum nominis sui laude exornasse, ut omnes palmam promeriti, nihil novi eo de argumento scribendum aliis reliquerint, ac subinde nihil reperiebam, in quo mens mea libentius conquiesceret, quam in tranquillo otio, ad quod secesseram, & in arcanis atque dulcissimis cum solo Deo colloquiis, quibus quidquid superest vitæ meæ (superest autem vix brevis palmus) consecrare animus erat. Verum, sic me hærentem cum sæpius rogarent, & tantum non increparent amici, tandem pollicitus sum, me hoc Opus, meis licet viribus impar, divinæ gratiæ adjutum præsidio, illico aggressurum, & ne viderer malæ fidei sponsor, capiti præcipiti calamo quædam in chartis annotare velut usui futura, si quando forte daretur voluntas vel facultas Operi ultimam manum admovendi. Contigit autem, ut non multo post has meas recolligendo schedas, easque attentiori animo lectitando, vehemens inceserit animum libido perficiendi istud jam a me delineatum Opus, eo vel

solo nomine, quod Veteris Testamenti Historia nullo pacto ab Historia Ecclesiæ, quam Jesus Christus in nova Lege instituit, separari debeat, cum certum sit, justos, qui ab exordio Mundi vixerunt usque ad Legem Evangelicam, credidisse in Christum venturum, ac subinde pertinuisse ad Ecclesiam Christi, quemadmodum inter alios Sanctos Patres disertè docet multis in locis Sanctus Augustinus, sed præsertim capit. 4. lib. 3. ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum, ubi de justis Veteris Testamenti loquens, hæc habet: *Ex Fide, qua nos vivimus, una eademque vixerunt, Incarnationem, Passionem, Resurrectionemque Christi credentes futuram, quam nos credimus factam.* Hinc est, quod Eusebius Episcopus Cæsariensis, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ capit. 4. illos omnes, qui in Veteri Lege testimonio justitiæ fuerunt probati, appellat non quidem nomine, sed re, Christianos, eosque ad Novum Testamentum, seu ad Ecclesiam Christi Domini pertinuisse affirmare non dubitat. Quam doctrinam Apostolus Paulus Epistola 1. ad Corinthios capit. 10. non obscure expressit his verbis: *Nolo vos ignorare, Fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes Mare transferunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in Mari, & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt (bibeant autem de spirituali, consequente eos petra, petra autem erat Christus.)* Ne igitur quidquam in ea, quam jam publicavi, Historia Ecclesiæ, a Christo Domino in nova Lege institutæ, Lector desiderare posset, necessarium esse duxi, Historiam Ecclesiasticam Veteris Testamenti breviter constringere, eamque variis colloquiis digestam cum distinctione temporum describere per sex Mundi Ætates, quæ ab Orbis conditu usque ad Natale Christi Domini interfluxerunt. Prima Mundi Ætas putatur a creatione Mundi usque ad Diluvium universale. Altera Mundi Ætas exordium habet a Diluvio, & protenditur usque ad Vocationem Abrahami. Tertia Mundi Ætas auspiciatur a Vocatione Abrahami, & producit usque ad profectiorem Populi Israelitici ex Ægypto. Quarta Mundi Ætas ducit initium ab egressione Populi Israelitici ex Ægypto, & durat usque ad quartum annum Regni Salomonis, quo ab eodem Rege jacta sunt Templi Hierosolymitani fundamenta. Quinta Mundi Ætas excurrit a constructione Templi Hierosolymitani usque ad Captivitatem Babylonicam. Sexta Mundi Ætas orditur a laxata captivitate Babylonica, & completur in Natali Christi Domini, veri Messiæ, & totius Mundi Salvatoris. Dabo autem operam, ut ea, quæ circa

quam in describenda Historia Ecclesiæ, quam Jesus Christus in Nova Lege instituit, tenuimus. Interlocutores erunt **MAGISTER**, ac **DISCIPULUS**. In primo Colloquio differemus de his, quæ ad creationem Mundi, & ad statum Adami innocentis pertinent, ibidemque male confarcinatas repudiabimus fabulas, & errores, quos circa primi hominis, Mundi, & animalium creationem excogitarunt Scriptores prophani. In altero Colloquio discutiemus nonnullas difficultates, quas Theologi de statu Adami post peccatum proponunt, iisque breviter faciemus satis. In tertio denique Colloquio perstringemus Vitas, seu res præclare gestas Patriarcharum, qui a creatione Mundi vixerunt usque ad Diluvium, atque veram Chronologiam, quæ in subducendis annis horumce Patriarcharum, ceteris calculis præponi debeat, indicabimus.



COLLOQUIUM PRIMUM.

In quo singula, quæ ad Mundi creationem, & Adami innocentis statum pertinent, explanantur, & fabulæ, ac errores, quos circa primam Mundi Ætatem protruderunt Scriptores prophani, exsufflantur.

MAGIST. Mundum intra sex dierum spatium conditum esse narrat Scriptura Sacra. Prima die creavit Deus Coelum, Terram, ac Lucem. Secunda die fecit Firmamentum, & divisit aquas, quæ erant sub Firmamento, ab his, quæ erant super Firmamentum. Tertia die congregavit aquas, quæ erant sub Firmamento in unum locum, terramque, recedentibus aquis, exsiccata, herbarum, stirpiumque viriditate vestivit, iussitque ut arbores fructusque produceret. Quarta die Solem, ac Lunam, Stellasque collocavit in Cælo, ut præessent diei ac nocti, & ut essent in signa, in tempora, dies & annos, atque lucerent in Firmamento Cæli, & illuminarent terram. In quinta die Deus Pifces in Mari, & Volucres in aere procreavit. In sexta die produxit animantia super terram, & præsertim hominem, quem e limo terræ finxit, a terra *Adamum* appellavit, ad imaginem suam formavit, eumque in hunc Mundum induxit, quasi in domum jam paratam & instructam; illius enim causa facta sunt omnia. Denique, septima die cum perfectum, omnibusque suis numeris absolutum esset totius Mundi opificium, quævit Deus, & cuncta, quæ fecerat opera tanquam valde bona approbavit. Hæc sunt in summa, quæ de creatione Mundi, seu de sex dierum opificio, refert Scriptura Sacra cap. 1. Libri Geneseos.

Hanc compendiosam de creatione Mundi historicam narrationem, a *Moyse* loco mox a me laudato descriptam, paucis nunc Observationibus, ne longior sîm quam postulat mei instituti ratio, illustrare pergam. In primis, certum est, hunc Mundum, non ex aliqua præjacen-

te materia, sed ex nihilo ab omnipotentis Deo conditum fuisse. Hinc damnari merito debent Poetæ, qui (teste *Lactantio* lib. 2. *Institution. Divin. cap. 9.*) ajunt, *Chaos in principio fuisse, idest confusionem rerum atque elementorum; postea vero Deum divemisse omnem illam congeriem, singulisque rebus ex confuso acervo separatis, in ordinemque descriptis, instruxisse Mundum pariter & ornasse. Quibus facile est respondere potestatem Dei non intelligentibus, quem credunt nihil efficere posse, nisi ex materia subjacente ac parata, in quò errore etiam Philosophi fuerunt.... Deus facit sibi ipsi materiam, quia potest. Posse enim Dei est, nam si non potest, Deus non est. Homo facit ex eo, quod est, quia per mortalitatem imbecillis est, definita ac modica potestatis. Deus autem facit ex eo, quod non est, quia per æternitatem fortis est, per fortitudinem potestatis immense, quæ sine, ac modo caret, sicut vita factoris. Quid ergo mirum, si facturus Mundum, prius materiam de qua faceret, preparavit ex eo, quod non erat & quia nefas esset, Deum aliunde aliquid mutuari, cum in ipso, vel ex ipso sint omnia. Nam si est aliquid ante illum factum, & quidquam non ab illo factum est, potestatem Dei & nomen amittet. Hoc egregio *Lactantii* testimonio facile refelluntur, non solum *Ethnici* Poetæ, ac Philosophi, sed etiam quidam *Hæretici*, quos cum *Hermogene* effutire non puduit, Materiam esse ingenitam, æternam, & Deo coævam, vel cum *Hæretico David de Dinando*, Discipulo *Almarici*, Deum esse materiam primam; quo commento quid absurdius insulsiusque excogitari possit, certe non video.*

De anni tempestate, qua conditus est

giam Versionis lxx. Interpretum; at in
 texto saculo hanc Scripturæ Sacræ Ver-
 sionem, dictam *Italiam*, fuisse ab Ecce-
 sia Romanâ repudiatam, & in ejus lo-
 cum suffectam esse Latinam Scripturæ
 Sacræ Editionem, quam *Vulgatam* ap-
 pellamus, a *S. Hieronymo* concinnatam,
 in qua annorum Patriarcharum primæ
 & secundæ Ætatis calculi cum Chrono-
 logia Textus Hebræi optime coherent,
 & quam longissime recedunt ab Epilo-
 gismo Codicum cum Græcorum, tum
 Samaritanorum. Hanc autem Latinam
 Scripturæ Sacræ Versionem, dictam *Vul-
 gatam*, quæ ab Oecumenico Concilio
 Tridentino *Authentica* declarata est, Ec-
 clesia Romana etiamnum studiose retinet,
 & ab ea neminem ne transversum qui-
 dem digitum discedere debere edixit,
 quod sane argumento est, Ecclesiam Ro-
 manam, in numerandis annis Patriarcha-
 rum primæ & secundæ Ætatis, approbare
 Chronologiam sacri Textus Hebræi, non
 vero calculos Codicum Græcorum, seu
 lxx. Interpretum, nec etiam calculos
 Codicum Samaritanorum. Hanc esse ver-
 ram Ecclesiæ Romanæ mentem declara-
 runt sacre Congregationes super hac re, ju-
 bentibus Romanis Pontificibus habitæ Ro-
 mæ. At enim, sacra *Indicis* Congrega-
 tio, dum censorio stigmate confixit ter-
 tium sancti *Juliani*, Archiepiscopi Toletani,
 Librum, in quo prædictus Archie-
 piscopus, in numerandis annis Patriarcha-
 rum primæ & secundæ Mundi Ætatis,
 mordicus adhæret Chronologiæ lxx. Inter-
 pretum; hæc, inquam, sacra *Indicis* Con-
 gregatio declarat, certum & omnibus ex-
 ploratum esse debere, Ecclesiam Catholi-
 cam in Editione *Vulgata* approbare anno-
 rum rationem, quæ est in Codicibus He-
 bræis. Hæc sacre Cardinalium Congrega-
 tionis censoria nota legitur (teste nostro
Malvenda lib. 2. de *Antichristo* c. 8.) in
 margine Operis *S. Juliani* in Editione pos-
 teriori *Bibliothecæ Patrum*. Eadem etiam
 sacra Congregatio, damnando Annotationes,
 quas *Antonius Coartius*, Doctor Bituricensis,
 in Chronologiam *Nicephori*,
 Patriarchæ Constantinopolitani, edidit,

Finis Tomi Primi.

hunc Auctorem ideo censura perstrinxit
 quod dum nimio studio Chronologiam
 lxx. Interpretum propugnabat, non videret,
 se incaute hebraici fontis, & Editionis
 Vulgatæ Chronologiam labefactare,
 & sanctos Patres corruptelam Chronolo-
 giæ lxx. Interpretum ulro profiteri. Hæc
 censoria istius sacre Congregationis Nota
 Tomo septimo *Bibliothecæ Patrum*,
 Editionis Parisiensis, anni MDLXXXV.
 in Chronologia *Nicephori* affixa est. Præ-
 terea, sacra Bibliorum Congregatio, sub
 Gregorio XV. Pontifice Maximo, habita,
 & cujus Acta manuscripta Romæ in
 Bibliotheca Angelica Patrum Augustinia-
 norum asservantur, sanxit, ut in emendan-
 dis & castigandis Sacris Bibliis, quoties-
 cumque Codices Græcos inter & He-
 bræos aliqua occurrit dissonantia, Codices
 Hebræi semper anteponantur Græcis,
 juxta Regulam, quam c. 13. lib. 15. de
Civit. Dei suppeditat *S. Augustinus*. Ex
 his itaque momentis nullo negotio colligere
 potes, Ecclesiam Romanam in nume-
 randis annis Patriarcharum primæ & se-
 cundæ Ætatis, Chronologiam Textus
 Hebræi præferre Chronologiæ Codicum
 Græcorum, seu lxx. Interpretum, & cal-
 culo Codicum Samaritanorum, quia, ut
 inquit Sacra *Indicis* Congregatio, Ecclesia
 Catholica approbat in Editione *Vulgata*
 calculum annorum Patriarcharum primæ
 & secundæ Ætatis, qui cum sacri Textus
 Hebræi Chronologia apprime coheret,
 & a calculo cum Græcorum, tum
 Samaritanorum longe lateque discrepat,
 sicut, in Codicibus Græcis agnoverunt
 sancti Patres, qui ideo corruptelam Chrono-
 logiæ lxx. Interpretum candide profes-
 si sunt. Sed tempus est ut vela contrahamus,
 & tam Colloquio nostro, quam Historiæ
 Sacræ in secundam Mundi Ætatem
 coronidem imponamus, postridie, si nos
 Deus, Optimus Maximus, sospites & in-
 columes servet, primum Colloquium in
 Mutæo nostro pomeridianis horis habituri
 in Historiam tertiæ Mundi Ætatis, quæ
 auspiciatur a vocatione Patriarchæ *Abra-
 hami*, & protenditur usque ad egressio-
 nem Israelitarum ex Ægypto.

HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS TESTAMENTI. TOMUS SECUNDUS COMPLECTENS TERTIAM, ET QUARTAM MUNDI ÆTATEM.

Országos Rabbiképz

IN-

Zsidó Egyetem Könyvtára



HISTORIA
ECCLESIASTICA
VETERIS TESTAMENTI,
SEU
TERTIÆ MUNDI ÆTATIS,

Quæ incipit a vocatione Abrahami, & protenditur usque ad ingressum Populi Israelitici in Ægyptum.



HISTORIAM Ecclesiasticam Veteris Testamenti ab *Adamo*, primo omnium hominum parente, usque ad vocationem *Abrahami*, hætenus, bene fortunante Deo, perduximus, ac tantam, sive tempore universalis Diluvii, sive post reparatum a tribus filiis *Noemi* genus humanum, aquis Diluvii pene extinctum, ostendimus, fuisse malitiam hominum, in omnia flagitiorum genera ruentium, ut inde proclive sit judicare, Deum his temporibus permisisse tot nefanda hominum scelera, ut palam fieret, quam necessaria esset Incarnatio Unigeniti Filii sui, quem, ceu Messiam, Mundique pberatorem, missurum se promiserat *Adamo*, dum post illius eccatum, statim serpenti, qui *Evam* seduxerat, imprecatus est his verbis: *Ipsa conteret caput tuum*, id est, Messias, qui ex femina nasciturus est, quemque præfixo tempore mittam, conteret caput tuum. At, ineunte tertia Mundi Ætate, quæ incipit a vocatione Patriarchæ *Abrahami*, & cujus historiam de-

describere in præsentia aggredimur, voluit Deus hanc suam de mittendo Liberatore, seu Messia, promissionem, factam Adamo, evidentius declarare, gentemque sibi specialiter elegit, e qua verus Messias, Jesus Christus Dominus noster, carnem humanam induens, in lucem proditurus erat, & generi humano, primigenia protoparentis labe perditio, salutem allaturus. Nonnullos igitur homines, Deus, summa cujus bonitas prævalet hominum nequitia, sub initium tertiæ Mundi Ætatis, in tanta ubique inundantium malorum colluvie, puros & illibatos servavit sibi, & inter ceteros *Abrahamum*, ex familia *Semi*, filii *Noemi*, oriundum, elegit, ut esset pater credentium, & caput numerosæ gentis, quæ ex eo oritura erat, cuique Deus Leges, Ritus, Sacrificia, aliaque id genus præscribere debebat, quibus Jesus Christus Dominus noster, verus a Deo promissus Messias, dignitas ejus, opera, vita, doctrina, & mors prænunderentur, atque sub variarum figurarum, typorum, atque signorum involucribus significarentur, ita ut hæc gens, a Deo electa, & cujus caput erat *Abrahamus*, dum eum speraret & expectaret promissum a Deo Salvatorem, eadem spe & expectatione totum impleret Orbem, & huic excipiendi homines aliquando bene præparati essent, sicut eleganter differit *Eusebius*, Episcopus Cæsariensis, Lib. I. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. 2. juxta Editionem *Valesianam*, sed præcipue in Proæmio Lib. VIII. *De Demonstratione Evangelica*. Hanc autem tertiæ Mundi Ætatis Historiam tribus Colloquiis, ne a præscripta nobis methodo recedamus, absolvemus. In primo Colloquio attingemus, breviter tamen, singula, quæ attinent ad sacram tertiæ Mundi Ætatis Historiam, inferemusque etiam compendiosam narrationem quarundam rerum exoticarum, quæ, licet ad variarum Nationum profanas Historias spectent, nihilominus intelligentiæ Historiæ sacræ haud parum subservire, eique aliquid luminis affundere possunt. In altero Colloquio proponemus dubia, quæ circa Historiam tertiæ Mundi Ætatis, tam Theologi, quam Scripturæ Sacræ interpretes movere solent, eaque diluemus. In postremo Colloquio, præcipua Patriarcharum tertiæ Mundi Ætatis gesta, & Scripta, quæ vel Jesum Christum, verum Messiam, adumbrarunt, vel venturum vaticinantur, perstringemus; atque accuratorem in putandis eorum annis Chronologiam stabilire satagemus.

COLLOQUIUM PRIMUM.

In quo attinguntur singula, quæ vel ad sacram tertiæ Mundi Ætatis Historiam pertinent, vel clariori ejus intelligentiæ inservire possunt.

DISCIP. RES, quas *Abrahamus* præclare gessit a tempore, quo ex *Ur Chaldæorum* vocatus est a Deo usque ad sacrificium, quo, ad obediendum Deo, voluit dilectissimum filium suum *Isaacum* mactare, abunde in tertio nostro Colloquio in Historiam secundæ Mundi Ætatis retulisti, quas quidem ut agnoscas memoriæ meæ adhuc infixas hære, eas nunc paucis verbis complectar. *Abrahamum* itaque Deus vocavit ex *Ur Chaldæorum*, Gente *Idolatra*, ut eum constitueret caput Gentis, quam in populum fidelem & peculiarem sibi selegerat. *Abrahamo* promissit Deus, nasciturum ex semine ejus Messiam, seque ei daturum Terram *Chanaan*, in quam *Abrahamus*, protinus Deo obtemperans, relicta *Charane* & cognatione sua, venit cum *Sara*, uxore sua, & cum *Lotho*, fratris sui filio. In hac Terra *Chanaan*, tanquam peregrinus, sub *Tabernaculis* habitavit *Abrahamus*, & ex ea, propter grassantem famem exire coactus, venit in *Ægyptum*, ubi *Saram*, uxorem, ut periclitanti vitæ suæ consulere, vocavit sortorem suam, quam in domum Regis sublatam, lætus postea accepit. Ex *Ægypto* egressus *Abrahamus* cum uxore sua *Sara*, multis locupletatus divitiis, sese in Terram *Chanaan* recepit. Sed cum hæc Regio multo pecori alendo haud sufficeret, *Lothus*, a patruo suo *Abrahamo* divulsus, sedes suas in urbe *Sodoma* fixit, qua direpta a Rege *Codorlahomere*, cum & ipse *Lothus* in hac urbis *Sodomæ* direptione fuisset abductus captivus, confestim *Abrahamus*, trecentis & octodecim armatis servis suis, *Lothum* nepotem suum, urbisque hujus direptæ populum pristinam in libertatem vindicavit. Redempti *Abrahamo* a cede Regis *Codorlahomor*, occurrit *Melchisedecus*, Sacerdos, qui ei

benedixit. Urbem *Sodomam*, ob nefandissimam & præposteram suorum incolarum libidinem, igne cœlesti consumpsit Deus, ex quo incendio solus *Lothus* ab Angelo ereptus est cum uxore & utraque filia; at *Lothi* uxor, cum post se, contra divinum mandatum, muliebri fortassis curiositate, respectasset, in statum salis actutum versa est. *Abrahamus* ex *Agare*, ancilla sua, quam uxorem duxerat, filium suscepit *Ismaelem*, quem, licet primogenitum, una cum *Agare*, matre, domo sua, jussu Dei, expulit *Abrahamus*, postquam *Sara*, altera ipsius conjux, jam in effæta ætate peperisset, juxta divinas promissiones, *Isaacum*, in quo benedicendæ erant omnes Gentes, quia ex *Isaac* stirpe nasciturus erat Messias. Cum autem jam adolevisset *Isaacus*, volens Deus fidem & obedientiam *Abrahami* toto Orbe illustrem reddere, præcepit huic Patriarchæ, ut eum, quem in deliciis, & in oculis habebat, filium suum *Isaacum* suis ipse manibus mactaret. Deo itaque imperanti, abjecta omni mora, *Abrahamus*, post homines natos obedientissimus, filium suum *Isaacum* immolandum obtulit; illum tamen non mactavit, quia Deus ipse, qui jusserat mactandum, patris fidem explorans prohibuit per Angelum ne faceret. Hæc sunt in summa res ab *Abrahamo* præclare gestæ, quas in tertio Colloquio in Historiam secundæ Mundi Ætatis late exposuisti, quasque ipse compendiosa narratione hic perstrinxi, ut intelligas, eorum, quæ hactenus in nostris Colloquiis de sacra Historia narraſti, notitiam adhuc memoriæ meæ tenaciter inhære. Sed age nunc, si placet, & percense cetera, quæ *Abrahamus*, post illud sacrificium, quo, parens divino præcepto, filium suum *Isaacum* mactare voluit, gessit usque ad suum obitum.

lut in continenti, iter pervium fuit. Nec cunctatus Rex Ægyptius cedentes insequi, mare, qua patebat, ingressus; mox coeuntibus aquis, cum omni exercitu deletus est. Tunc Moyses incolumitate suorum, exitio hostium, virtuteque Dei exultans, Canticum Domino cecinit (quod legitur cap. xv. sacri libri Exodi) idemque omnis turba virilis ac muliebris sexus fecit.

D. Ex ea, quam hic attexisti, Tabula Chronologica facile intelligo, a vocatione Abrahami, quæ contigit anno a creatione Mundi MM LXXXIII. & a qua exordium sumit tertia Mundi Ætas, usque ad Israelitarum ex Ægypto profectionem, quæ accidit anno a creatione Mundi MMDXIII. & in qua desinit tertia Mundi Ætas, interfluxisse annos quadringentos, & triginta, per quos Deus prædixerat Abrahamo, posteritatis suæ peregrinationem duraturam, hoc est, posteros Abrahami, a tempore Vocationis illius Patriarchæ fore peregrinos in terra Chananæa per ducentos, & quindecim annos, illosque postea per alios ducentos, & quindecim annos in Ægypto manuros, tanquam peregrinos, antequam possiderent Terram Chanaan, quam Deus Abrahamo, ejusque posteris daturum se promiserat, sicut memini, te jam observasse contra nonnullos Scriptores, qui perperam asserunt, Hebræos per quadringentos, & triginta annos in

Ægypto peregrinos, & afflictos fuisse. At, cum bona venia tua dixerin, hora, quæ nunc imminet prandii, nostrum huc ulque protractum cogit finire Colloquium. Scis etenim celebratum a Plutarcho, Gellioque istud Catonis dictum, ex Oratione quadam, qua dissuasit Legem Agrariam, quamque sic exorsus est, ut dicat, arduum esse ad Ventrem verba facere, qui careat auribus. Interpellante itaque fame, domum me recipio, ut post prandium possim facilius præparare me ad proximum Colloquium, in quo de Historia quartæ Mundi Ætatis, quæ ab exitu Israelitarum ex Ægypto initium habet, desinitque in quarto anno Regni Salomonis, quo ab eodem Rege jacta sunt Templi Hierosolymitani fundamenta, differere incipiemus: expleto, siquidem ventre, sicut vulgari fertur Adagio, melior est consultatio, si ve ut ait Plutarchus lib. 7. Symposiacon: Consultatio tum melior, cum expleveris, abum.



HISTORIA ECCLESIASTICA

VE TERIS TESTAMENTI,

S E U

QUARTÆ MUNDI ÆTATIS,

Quæ initium habet ab exitu Israelitarum ex Ægypto, & desinit in quarto anno Regni Salomonis, quo, ab eodem Rege jacta sunt Templi Hierosolymitani fundamenta.



HEBRÆI, inquit eleganter Lactantius cap. x. libri „ iv. Divinarum Institutionum, ex Ægypto egressi in solitudinem multa mirabilia viderunt, „ nam cum sitim paterentur, ictu virgæ rupe „ percussa, profiliit fons aquæ, populumque re- „ creavit. Quo rursus esuriente, cœlestis alimen- „ tum pluvia descendit, quin etiam coturnices in castra eorum ventus induxit, ut non modo pane cœlesti, sed etiam „ instructioribus epulis saturarentur. Pro his tamen divinis beneficium honorem Deo non reddiderunt, sed depulsa jam servitute, jam siti fameque deposita, in luxuriam prolapsi ad prophanos Ægyptiorum Ritus animos transtulerunt. Cum enim „ Moyses, Dux eorum, ascenderet in montem, atque ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput Bovis, quem vocat Apin,

lesimo nongentesimo trigesimo quinto. Post mortem *Abdonis* Israelitæ servierunt Philistæis annis quadraginta, & hæc servitus finem habuit anno Mundi bis millesimo nongentesimo septuagesimo quinto.

Samson judicavit Israelem annis viginti, & abiit è vivis anno bis millesimo nongentesimo nonagesimo quinto.

Heli, post mortem *Samsonis*, judicavit Israelem annis quadraginta, & migravit è vita anno Mundi ter millesimo trigesimo quinto.

Samuel, & *Saul*, primus Israelitarum Rex, præfuerunt Israelitis annis quadraginta, qui terminantur anno Mundi ter millesimo septuagesimo quinto.

David regnavit annis quadraginta, videlicet septem annis in Hebrone, & triginta tribus Jerosolymis, & extremum diem clausit anno Mundi ter millesimo centesimo decimo quinto.

Salomon, anno Regni sui quarto, qui incidit in annum Mundi ter millesimum centesimum decimum nonum, & in annum ab egressione Israelitarum ex Ægypto sexcentessimum sextum, jecit fundamenta magnificentissimi post hominum memoriam Templi Jerosolymitani, cujus fabrica per septem annos continuata est, ac subinde absoluta anno undecimo Regni *Salomonis*, & anno Mundi ter millesimo centesimo vigesimo sexto.

Habes nunc exactam Tabulam Chronologicam sexcentorum & sex annorum, qui ab exitu Populi Israelitici ex Ægypto usque ad quartum Regni *Salomonis* annum, quo jacta sunt Templi Jerosolymitani fundamenta elapsi sunt. Quem calculum si conferas cum sacro libro *Judicum*, in quo anni Præfecturæ *Judicum* numerantur omnino distincti ab annis servitutum Israelitarum, invenies esse accuratissimum, ultroque fatebris contrariorem esse illorum calculum, qui, annos servitutum Israelitarum cum annis

Præfecturæ *Judicum* perperam confundentes, numerant duntaxat ab egressione Israelitarum ex Ægypto usque ad quartum Regni *Salomonis* annum, quo coepta est Templi Jerosolymitani structura, annos quadringentos octoginta.

D. Multum sane mihi arridet iste quartæ Mundi Ætatis annorum calculus, tum quia ei suffragatur sacer *Judicum* liber, in quo anni servitutum Israelitarum seorsim numerantur ab annis Præfecturæ *Judicum*; tum quia etiam prædictus ille, quem subduxisti, calculus sexcentorum & sex annorum, qui effluerunt ab exitu Israelitarum ex Ægypto usque ad quartum Regni *Salomonis* annum, optime conciliat apparentem illam in numeris antilogiam, quæ reperitur inter caput sextum lib. 3. Regum, & sacrum librum *Judicum*. Nam, eo in capite sexto libri tertii Regum ideo ab exitu Israelitarum ex Ægypto usque ad quartum Regni *Salomonis* annum percententur duntaxat anni quadringenti octoginta, quia ibi Scriptura Sacra numerat tantum annos Præfecturæ *Judicum*, prætermissis annis servitutum Israelitarum. At, in libro *Judicum* Scriptura Sacra, præter annos servitutum Israelitarum enumerat, ex quibus simul supputatis emergit summa annorum sexcentorum & sex annorum, qui a profectioe Israelitarum ex Ægypto usque ad quartum Regni *Salomonis* annum præterlapsi sunt; unde plane consequitur, nullam veram & realem in numeris extare contradictionem inter caput sextum libri tertii Regum, & sacrum *Judicum* librum. Sed tempus est ut Colloquio nostro, & Historiæ quartæ Mundi Ætatis finem imponamus, ea tamen Lege, ut, si Deus nos sospites & incolumes servet, Colloquia in Historiam quintæ Mundi Ætatis proxima hebdomada simus auspiciaturi.

HISTORIA

ECCLESIASTICA

VETERIS TESTAMENTI.

TOMUS TERTIUS

COMPLECTENS

QUINTAM, ET SEXTAM

MUNDI ÆTATEM.

HISTORIA
ECCLESIASTICA
VETERIS TESTAMENTI
TOMUS TERTIUS
CUM SUPPLEMENTIS
QUINTAE ET SEXTAE
MUNDI ÆTATIS



HISTORIA
ECCLESIASTICA
VETERIS TESTAMENTI,
S E U
QUINTÆ MUNDI ÆTATIS.

Quæ incipit a quarto Regni Salomonis anno, quo jacta sunt Templi Hierosolymitani fundamenta, & producitur usque ad Captivitatem Bablyonicam.



HISTORIA quintæ Mundi Ætatis, quæ ab anno quarto Regni Salomonis, quo ab eodem Rege jacta sunt Templi Hierosolymitani fundamenta, ducit exordium, & protenditur usque ad Captivitatem Bablyonicam, non solum complectitur seriem & Gesta Regum Juda & Israel, necnon Acta Prophetarum, qui sub illis Regibus Vaticinia fuderunt, verum etiam arctam habet agnationem & affinitatem cum Historia Prophana, seu Regum Ægyptiorum, & Chaldæorum, seu Bablyoniorum. Quocirca, ut compendiosam quidem, sed accuratam rerum omnium, quæ vel ad Historiam Sacram quintæ Mundi Ætatis attinent, vel spectant Historiam Prophanam, cum qua connexionem aliquam habet eadem Historia Sacra, notitiam assequi possis, tria, juxta nobis præfixam methodum, in describenda Historia quintæ Mundi Ætatis, instituemus Colloquia;

4
 quia; in quorum primo dabimus, juxta Historiam, cum Sacram, rum prophanam, seriem & Gesta Regum tam Juda, quam Israel, & eorum regiminis exactum annorum calculum. In altero Colloquio aliquot Dubia, quæ Theologi, & Scripturæ Sacræ Interpretes circa Historiam quintæ Mundi Aetatis movere solent, maxime circa auctoritatem Librorum, cum Moraliū, tum Historicorum, quos sacri quintæ Mundi Aetatis Scriptores exararunt, discutiemus, breviterque dissolvemus. In postremo Colloquio texemus Historiam Prophetarum, qui sub Regibus Juda & Israel ante captivitatem Babylonicam, tam in Regno Juda, quam in Regno Israel, vixerunt, ibidemque ostendemus, bene multa in his, quos, divino afflatis spiritu, libris conscripserunt, extare Oracula, quæ ad Jesum Christum, verum Messiam, totiusque generis humani Redemptorem, semota omnia colligine, referuntur.

5
COLLOQUIUM
PRIMUM.

In quo, juxta Historiam, cum Sacram, tum Prophanam, Series & Gesta Regum Juda, & Israelis describuntur, eademque opera, eorum regiminis accuratus annorum traditur calculus.

DISCIP. **J**AM scio Salomonem anno quarto Regni sui jecisse fundamenta Templi Hierosolymitani (cujus formam delineaverat pater ipsius David, Rex) illudque miris impensis & laboribus exornasse, ac tandem septem annorum spatio in monte Moria edificasse, eique ultimam admovisse manum. At, optarem nunc, ut hujus magnificentissimi Templi structuram ac formam paucis verbis describeres, quam tam sapiente, tamque potente Architecto dignam fuisse nullus dubito.

M. Materia Templi Hierosolymitani potissimum sita erat in lignis cedrinis, abiegnis, olivarum, ære, argento, auro purissimo, & in lapidibus exquisitissimis, ita fabricorum arte & industria, dolatis, politis, perfectis, apteque inter sese conjunctis, ut tota inde assurgens structura, oculos intuentium in admirationem raperet, Hinc, Christo Domino, egredienti e Templo Hierosolymitano, ait unus ex discipulis suis: *Magister, aspice quales lapides, & quales structure, sicut legitur cap. 13. v. 1. Evangelii S. Marci.* Formam quod attinet Templi Hierosolymitani, conatus est Rex Salomon in extruendo ex lapidibus Templo Hierosolymitano exprimere, quantum potuit, formam antiqui Tabernaculi, a Moysæ jussu Dei in Deserto erecti, quod tamen, sicut ostendimus in Colloquiis nostris in Historiam quartæ Mundi Aetatis, portatile tantum erat, & ex pellibus compactum. Duplex autem erat forma Templi Hierosolymitani, interior una, exterior altera. Duæ ejusdem Templi Partes interiores erant, quarum una simpliciter dicebatur Sancta, & in ea erant Altare thymiamatis; Mensæ de-

cem aureæ Panum Propositionis, & decem Candelabra aurea. Hæc pars Templi quadraginta cubitos longitudine habebat, latitudine vero viginti. Pars altera appellabatur Sanctum Sanctorum, quæ muro & velo intermedio a priori parte, quæ Sancta vocabatur, erat separata, atque in ea recondita erat Arca Fæderis, & Deus Responſa, seu Oracula, reddebat Summo Sacerdoti, ipsum per Urim & Thummim consulenti. Pars exterior Templi Hierosolymitani dicebatur Atrium, idque erat multiplex, videlicet primo erat Atrium Sacerdotum, quod continebat Altare Holocaustorum, & Mare æneum, seu labrum aquæ amplissimum. Secundo, erat Atrium populi, quo viri & feminae Israelitæ ad orandum & Deo debitum cultum deferendum convenire solebant. Tertio, erat Atrium Gentilium, quo prophanæ Gentes adire poterant, & in eo stare; sed eis ultra progredi nefas omnino erat. Porro, Atria cum Sacerdotum, tum Israelitarum cingebantur porticibus, exedris, gazophylaciis, pastophoriis, variis conclavibus, & cellis, sive ad reponendum sal, quo aspergebantur membra victimarum; oleum, quod infundebatur lucernis Candelabrorum; vinum, quod effundebatur in Sacrificiis; sive etiam ad servandas vestes Sacerdotum, Vasa, Candelabra, Pateras, Phialas (quarum usus erat ad excipiendum victimarum sanguinem) Cantaros, Lances, Crateres, Acerras, & alia id genus instrumenta sacra, numero & magnificentia pene incredibili; sive denique ut apta & commoda domicilia haberent Sacerdotes, Levitæ, & alii Templi Ministri, qui in ordine vicis suæ, A 3 seu

D. Rogaverat olim S. *Augustinum* Laurentius, ut foriberet aliquod *Enchyridion*, sive Opusculum mole exiguum, quo plane instrui posset, & instructus ex tempore de Deo recte colendo loqui valeret. Petitioni *Laurentii* annuit S. *Augustinus*, & *Enchyridion* scripsit, quod obvis ulnis excepit *Laurentius*, & a cujus lectione ægre divelli poterat. Sequar ipse exemplum *Laurentii*, & Sacram Veteris Testamenti Historiam, quam meis exoratus precibus in variis Colloquiis a Creatione Mundi usque ad

Natale Christi Domini digessim, eolubentius legam, quod illam stylo simplici, sed citra barbariem, & compendiose, citra tamen obscuritatem, descripseris. Quæ methodus, ut candide dicam, multum mihi semper arrisit, utpote ad studiosæ juventutis captum magis accomodata, antiquo præsertim canente Poeta:

Quidquid præcipies esto brevis, ut cito dicta

Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Finis Historiæ Sextæ Mundi Ætatis,
& totius hujus Operis.

INDEX RERUM

T O M I P R I M I.

A

ÆTas. Ætates Mundi sex ab Orbe condito ad Christum natum, earumque periodi: pag. 3. Ætas diurna primorum hominum, non tam ob fructus terræ excellentiores, quam propter frugalitates. 70. Vide *Annus*.

Amor Dei & proximi, cultus est interior Legis naturæ. 66.

Angeli. Cur Moyles siluerit creationem Angelorum. 9. Angelorum cognitio matutina in Verbo, Vespertina in rebus. 9.

Angelis in via non fuit collata sola gratia versatilis. 36. Angelorum peccatum. 39. Corporis expertes sunt. 78. 79. Mulierum amore capti non sunt ante dilu-
vium. 78. Absurdæ de Angelis sententiæ *Lactantii*. 79. Lothum e flammis eripiunt. 142. Cherubim præ foribus Paradisi. 40.

Animal. Nulla animalia, e putri materia, oriuntur, sed ex ovis. 111. Animalia bruta non sunt prædita ratione, ut senserunt *Origenes*, & *Lactantius*. 114. non sunt pura automata. *ibid.* Quomodo in Americam adportata fuerint post dilu-
vium, maxime infecta, quæ noxia sunt. 111. & seq. 113. aves. *ibid.*

Annus. Annus antiquus Hebræorum, annus civilis, Sabbaticus, & Jubilæus ab æquinoctio autumnali computantur. 8.

Anni initium postea sumptum, Deo jubente, ab æquinoctio verno. *ibid.* Anni priorum Patriarcharum non erant mensuri, sed nostris similes. 71. Anni centum viginti, non vitæ hominum, sed poenitentiae spatium ante dilu-
vium. 97.

Vide *Ætas*.

Antichristus interficiet Enochum in fine mundi, & hic post tres dies resurget. 82.

Antipodæ. 108.

Arca Noe, ejusque mensura. 72. 85. Fuit Ecclesiæ figura. 93. Arca fœderis. 133.

Altra non sunt animata. 113.

Atomi. Corpuscula seu atomos mundum temere effecisse somniavit *Epicurus*. 44.

Auxilia. Vide *Gratia*.

B

Baptismus concupiscentiam ac fomitem non aufert. 54.

Bella post dilu-
vium prima. 104.

Benedictio *Melchisedechi*. 128.

Benignitas Dei. Vide *Misericordia*.

Bonitas Dei. Vide *Deus*.

C

Captivitas Ægyptiaca quandiu duraverit? 130.

Carnes. Carnibus vesci an licitum ante dilu-
vium. 69. 70. 97. Post dilu-
vium. *ibid.*

suffocato & sanguine interdictum hominibus post dilu-
vium. 97. Eadem vetita initio Ecclesiæ Christianæ. 98.

Casuistæ. Rejiciuntur placita nonnulla circa ignorantiam. In vecta in Christianam Ethicæ a laxioribus Casuistis. 56. 57.

Chaos Poetarum. 57.

Christus. Ejus figuræ, Adam, Abel, Noe. 91. *Melchisedech*. 128. Abraham. 145.

Christi & ejus Sacrificii typus in *Isaaco* 138. & in ariete. *ib.* Christianæ Legis & Christianorum in Sara & *Isaaco*. 145.

Christum prævidit Abraham. 139. Fides in Christum omni ævo necessaria fuit ad justificationem. 133. Vide *Messias*.

Cibus hominum. Vide *Carnes*.

Circumcisio. Ejus origo. 133. a Deo Abrahamo præcipitur. *ibid.* non est desumenda ab Ethnicis. *ibid.* Circumcisione utebantur Ægyptii, aliique, sed Hebræorum circumcisio omnium vetustissima fuit & diversa. 135. Ægypti fœminas quoque circumcidebant, *ibid.*

Concubinas. Uxores minus præcipuæ, quæ non erant matres familias, quandoque vocabantur concubinae, vigente polygamia. *ibid.* 144.

Concupiscentia. Concupiscentia contra rationem pugnans, mala est, malus nempe effectus peccati. 52. pugna hujusmodi non fuisset in statu naturæ puræ, est enim contra naturam ex D. *Thoma*. 29. 52.

53. superest post Baptismum. 54. Non est peccatum, sed peccati poena. *ib.* & 55.

